



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus VI. De Judæis, Sarracenis, & eorum Servis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

lis, adeoque pretio inæstimabiles. *Objic. 1.* DEUS ipse *Prov. 23.* sic prohibet: *noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam:* ergo. 2. Theologia est scientia sacra, & complectitur veritates fidei supernaturales: ergo pro ea tradenda nihil absque Simonia accipi potest. 3. Qui docentur Theologiam, exinde sæpius moventur ad DEI ac rerum supernaturalium amorem, vel etiam ad talem finem referunt suum studium. *¶ ad 1.* Illum textum intelligit S. Thomas & alii non de scientia labore humano acquisita, sed de infusa à DEO ad cognoscendas veritates divinarum Scripturarum, & à S. Paulo vocatur *Interpretatio sermonum*, ac numeratur inter dona Spiritus S. & gratias gratis datas. *Ad 2.* Licet Theologia sit scientia sacra ex objecto suo materiali, & supponat veritates supernaturales, docens tamen Theologiam circa illas non nisi naturaliter versatur, sicut Musicus decantans cantiones sacras, qui utique non committit Simoniam, si pro suo cantu accipiat pretium. *Ad 3.* Id respectu docentis Theologiam &c. est merè per accidens; is enim per se intendit instructionem naturalem intellectus, sive naturali modo ponendam.

## TITULUS VI.

*De Judæis, Sarracenis, & eorum Servis.*

### SUMMARIUM.

*1. Quid sit Paganismus, Judaismus, Hæresis.*

*Pars II.*

Nn

2. 3.

2. 3. 4. *An. & quando illicitum sit recipere & lerare Sarracenos, & Judæos, aut cum ipis communicare.*

5. *Infideles directè cogi ad Fidem non possunt.*

6. *An eorum infantes invitis parentibus baptizari.*

**I** Riplex est genus Infidelitatis, seu Infidelium, h. e. in vera Fide & Religione errantium, nempe *Paganismus*, *Judaismus*, & *Hæresis*; quamvis in Jure Canonico Infideles plerumque intelligantur illi, qui non sunt baptizati, uti Pagani & Judæi, non verò Hæretici. *Pagani* in genere sumpti sunt illi, qui non baptizati nullo modo credunt in Christum, sive ut venturum sive ut præsentem Messiam ac Mundi Salvatorem, uti Ethnici, Gentiles, Idololatæ, Sineses nondum conversi, Turcæ, *Sarraceni*, qui hac Rubrica generaliter accipiuntur pro *Paganis* & probabiliter sic dicuntur Sarraceni quia quædamquamvis ipsi oriundos se & appellatos esse dicunt à *Sara* uxore Abrahami, cum tamen potius descendant ab ejus ancilla *Agar*, ac ideo à quibusdam *Agareni* vocentur. Si tamen Sarraceni specificè accipiuntur, denotant Turcas, Persas, Arabes, Africanos, & alios populos Mahometi hærentes, *Judæi* autem sunt, qui Verus Testamentum, in quo reperiuntur vaticinia & figurae promissi Messiae, ac Legem Mosaicam moribus tenent, non tamen credunt in Christum & Messiam jam ut præsentem, rejecto Novo Testamento ex toto, sed venturum adhuc expectant. *Hæretici* demum appellantur, qui quidem profiterentur Christum

Christum cum utroque Testamento, ac baptizati sunt, in uno tamen vel pluribus articulis sufficienter revelatis contra Fidem Catholicam pertinaciter errant. De his in sequenti, de *Paganis & Judæis* agitur in hoc Titulo, uti & de *eorum servis*, per quos intelliguntur non tantum servi proprie dicti, sed etiam famuli & famulæ.

Dico I. Illicitum est Christianis in suas terras recipere, vel tolerare, si expellendi vires suppetant, *Sarracenos* seu *Paganos*. 2. Cum ipsis, ubi tolerari debent, in eadem domo cohabitare, aut ipsis servire in eorum domibus. 3. Specialiter verò prohibitum est tempore belli ad illos deferre arma, ferrum, & alia ad usum servientia, aut illis favorem vel auxilium præstare &c. & quidem sub pœna infamiæ, servitutis, intestabilitatis activæ & passivæ ac excommunicationis reservatæ Summo Pontifici, atque confiscationis bonorum, imò capitalis supplicii. 4. Quin & inire fœdus cum illis, & auxilia petere tempore belli contra Christianos & Fideles, ferè nunquam licet. Pars 1. fundatur tum in Jure Divino, quod promulgavit S. Paulus, qui 2. Cor. 6. ait: *Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli;* tum in Naturali ob certum periculum damnorum Religionis & fidelium. Pars 2. habetur expressa in c. 5. h. t. Pars 3. in c. 6. 11. 12. 17. Extrav. 1. int. Com. Extrav. un. Jo. XXII. h. t. specialiter in *Bulla Cœnæ casu 7. l. fin. C. quæ res reportari. l. 25. C. de panis*. Pars 4. in c. 34. v. 12. Exodi. ibi: *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. & c. 23. v. 32. ibi: non inibis cum eis fœdus, & in ratione, quia*

practicè loquendo nunquam vel ferè nunquam  
 tali fœdere & auxiliis aberit periculum certum Re-  
 ligionis, Catholicorum perversionis, incrementi  
 infidelitatis, scandali &c. Vid. Sanch. l. 2. *Mo-  
 ral. c. 31. n. 24.* Correa. *in Idea Consiliar. d. 1. l. 1.  
 n. 1415.* qui ferè unicum excipiunt casum, qui  
 nempe ex una parte non possunt haberi auxiliis  
 Christianis, ex altera verò nullum creditur pos-  
 sibile damnum imminere Religioni Catholicæ, si  
 pacta sunt talia, ut potiùs spes sit tuendæ aut eam  
 propagandæ Religionis veræ; quæ rarissimè con-  
 current.

9 Dico 2. Quamvis absolutè loquendo licet  
 sit Christianis in suas terras recipere Judæos  
 & receptos tolerare non solum liceat, sed etiam  
 oporteat, si pacta servent, & juxta leges sibi pre-  
 scriptas vivant. 3. Recipere tamen, ubi in-  
 dum sunt, non expedit, imò ordinariè non licet.  
 4. Neque cum receptis & toleratis communi-  
 cationem in sacris, imò nec in politicis, quando ob fami-  
 litatem cum iis habitam oritur vel periculum per-  
 versionis fidelium, vel vilipensio Religionis Chri-  
 stianæ. Pars 1. & 2. sumitur ex c. 9. 13. *de  
 l. 11. 14. &c. C. eod.* & ex ratione, quia ex  
 dæis receptis & toleratis redundat aliqua utilitas  
 in veram Religionem Catholicam; hi enim per  
 petuum dant testimonium non modò Scripturæ  
 Sacræ Veteris Testamenti, in quo continentur pre-  
 missiones venturi Messia, ejusque persona, ejus  
 miracula &c. describuntur, quæ olim variè  
 sunt Prophetæ, & nunc in Christo impleta cen-  
 tur, imò ipsi Judæorum ritus tanquam figuræ  
 firmant figuratum, quod modò existit, nempe  
 ritus

ritatem Evangelicam. Accedit praxis, non solum Christianorum Principum, sed etiam Summi Pontificis in Urbe Romana Judæos perpetuò tolerantis. Unde paritas non est cum Paganis & Sarracenis, quia ex horum toleratione vel receptione non datur ulla utilitas in Ecclesiæ Catholicæ confirmationem redundans. Qua de causa, ubi sunt recepti, gaudent jure civitatis & privilegiis civium. l. 8. C. t. 9. h. t. sed juxta conventionem duntaxat. Porro conditiones & leges, sub quibus recipi & tolerari consueverunt Judæi, potissimum sunt istæ: ne quid dicant vel faciant in contemptum Religionis Christianæ, aut Christianos turbent in cultu Divino, vel molestiam creent: ne blasphemis aut maledictis impetant DEUM aut Christum, aut Christianos diris devoveant: ne in hebdomade sancta prodeant in publicum, ac in die Parasceves aperta habeant ostia vel fenestras: ne usuras exerceant immoderatas, aut fraudibus emungant Christianos, aut res Christianorum furentur vel ipsi, vel illas coëmant à furibus: ne quemquam Christianorum ad suam superstitionem seducere præsumant: ne, saltem in quibusdam locis, habeant bona immobilia præter ædes suas, & ne incedant publicè sine signo in vestibus, ex quo dignoscantur esse Judæi, v. g. sine flavo pileo, flava fimbria, clavo flavo &c. (quamvis hoc signum in Germania dissimulari soleat) ne Christianos habeant pro mancipiis & famulis: ne capiant aliquid ex testamento vel alia ultima voluntate &c. Pars 3. patet inde, quòd Judæi soleant, nimirum occulte, Christo quotidie maledicere, ac blasphemare, Christianos autem insatiabili odio persequi, eisque per-

fraudes & iniquas usuras nocere, aliâque nefanda crimina, præsertim in infantes Christianorum, perpetrare. Vid. Pignatelli *to. 5. consult. 14.* Major *to. 3. dier. canic. colloq. 1.* Speidelius in *Specto. Juden.* Pars 4. ex c. 3. 5. 7. 8. & l. 7. 11. *eod.* Sed hinc

4. Quæres, quænam communicatio cum Judæis specie sit prohibita, & an graviter? R. 1. In Divinis, uti est adire Synagogas Judæorum, vel officium admittere ad rem Divinam in Ecclesiis Christianorum, exercere ritus & ceremonias eorum superstitiosas, permittere, ut ædificent novas Synagogas, vel antiquas in formam augustiorem dirigant, vel ad id cooperari &c. item in politis profanis, uti est habitare in eorum ædibus, eorum cum ipsis balneo uti, adire eorum convivia, nuptias, ludos, adhibere Medicos & chirurgos Judæos, & maximè officium publicum, aut jurisdictionem in Christianos concedere ipsis, aut tanquam famulos recipere in domos &c. c. 1. 2. 3. 8. 13. 16. c. penult. h. t. potest tamen Christianus operas suas locare Judæo, v. g. in extruendo domo, colendo agro &c. vel res suas, v. g. equum currum &c. item celebrare cum ipsis contractus.
- R. 2. Prædictam communicationem in profanis prohiberi solum ex causa familiaritatis nimie cum Judæis; unde licitum est, si necessitas vel magna utilitas, corporalis vel spiritualis, aliud exigat v. g. si alius idoneus Medicus non adfit ad medicandum, quàm Judæus, si casu in balneo, vel convivio incidas in Judæos, si frequenter agas cum Judæo cum intentione & spe ipsum convertendum. Unde R. 3. Peccatum grave non esse cum Judæo

communicare in profanis, nisi quando familiaritas est valde frequens & quasi continua, vel quando notabiliter præjudicatur dignitati Fidei, v. g. per famulatum diuturnum in quibusvis ministeriis, vel quando tolerantur in officiis publicis, aut grave scandalum, vel periculum perversiōnis indè oritur.

Dico 3. Infideles, uti Sarraceni & Judæi, directè & per se cogi non possunt ad amplectendam Religionem Christianam. *can. 3. s. d. 45. c. 9. h. t.* quia nec Ecclesia (nec Principes Christiani) in Infideles, per baptismum non ingressos in Ecclesiam, & sic ei non subjectos, habet jurisdictionem, & consequenter potestatem compellendi ad Fidem. Dixi 1. *directè*; possunt enim cogi indirectè, v. g. negando ipsis habitationem inter Christianos, eos rigide (justè tamen) tractando, exigendo tributa, negando favores Christianis indultos &c. nisi se convertant. Dixi 2. *per se*, nam per accidens cogi possunt illatò ipsis bellò, si resistent prædicationi Evangelii, quam Christus prædicari præcepit per totum Mundum, ad submovendum hoc impedimentum. Hic aliqui etiam censent, Infidelibus ob Idololatriam, & alia peccata, contra Jus Divinum & naturale ab ipsis committi solita, bellum moveri, & expugnari posse, saltem accedente consensu Summi Pontificis, cujus est tueri Jus Divinum & Naturale, & qui ratione horum delictorum in eos obtinet jurisdictionem ad puniendum. *Objic. I.* Infideles obligantur Jure naturali & Divino ad recipiendum baptismum, & Fidem Christianam sibi sufficienter propositam: ergo cogi possunt ad satisfaciendum huic

obligationi. 2. Si directe cogantur ad fidem, non fit ipsis injuria, sed gratia; quia felix dicitur necessitas, quæ compellit ad meliora. 3. Hæretici possunt directe cogi ad amplectendam Fidem Orthodoxam: ergo & Infideles. R. ad 1. Libere teneantur aliunde amplecti veram fidem, & non propter defectum jurisdictionis directe cogantur. Ad 2. Injuria non deest, ubi valetur a non habente potestatem & jurisdictionem. Ad 3. *N. conf. & parit.* quia Hæretici per baptismum subiecti sunt jurisdictioni Ecclesie, quæ proin, ubi potest, eam recte exercet per Principes Catholicos, ut cogant rebelles reverti.

6 Dico 4. Infidelium, nempe Paganorum & Idæorum, infantes probabiliter baptizantur in vitis eorum parentibus, saltem si spes sit, quod in vera Religione sint educandi. Scovus in 4. q. 9. & aliorum communis contra communem aliorum cum S. Thoma 2. 2. q. 10. a 12. quærat, in Praxi semper fuisse observatum contra nostræ sententiæ, quæ tamen probatur ex *Matth. 28. Docete omnes gentes, baptizantur* ergo Christus præcepit baptizari omnes: huic præcepto, vi cujus omnes tenentur baptismum suscipere, & in aliis non impedire, nullo se opponunt parentes: ergo justè & licitè baptizantur eorum liberi, usu rationis destituti, in vitis. *Objic.* Si hi liberi baptizantur in vitis parentibus, tunc vel post baptismum auferuntur parentibus; & istis fit injuria, utpote habentibus potestatem in liberos: vel relinquuntur apud parentes? & fit injuria Baptismo, cum liberi certissimo perversionis & apostasie periculi

exponantur. *¶* Si auferantur parentibus, & constituantur in loco, ubi nullum perversionis periculum, non fit injuria parentibus, cum illorum jus & patria potestas se non extendat ad spiritualia, & ad salutem adeo necessaria, nec prævalere possit præcepto Divino Baptismi susceptionem omnibus injungenti. Certè Catholicis parentibus, si nolent concedere, ut sui liberi baptizentur, nulla fieret injuria, si iis invitis baptizarentur: ergo nec Infidelibus. Neque fit injuria Sacramento Baptismi, si infantes relinquuntur parentibus, sicut non fit injuria Sacramento Pœnitentiæ, si absolvatur constitutus in relabendi periculo, physicè aut moraliter inaufribili. Dein sæpe contingit mori liberos ante adeptum usum rationis: item usum rationis adepti possunt adhuc auferri parentibus justè, quia jam subiecti potestati Ecclesiæ, & huic parère tenentur. Imò etiam relictì apud parentes abstinere possunt ab omni peccato gravi contra Jus Naturale, & sic salvari, aliàs, si baptizati non fuissent, nunquam salvandi. Cœterum si unus parentum non esset invitus, vel si credatur infans brevè moriturus, juxta omnes licitè baptizaretur.

## TITULUS VII.

### *De Hæreticis.*

#### SUMMARIUM.

1. *Quid sit Hæresis, & Hæreticus, & quotuplex.*
2. 3. *Qua pœna in Hæreticos, eorùmque Credentes, statuta, & in usu sint.*

Nn §

4. §.